iniunctum est, ne amplius nisi a sententia definitiva appellatores admittant. Quoniam autem ea causa externos mercatores qui toto fere triennio Leopoli finem earum litium non sine magno dispendio suo expectant concernunt. Ideo Fid. vris seriò mandamus, vt eisdem Georgio et Zacharia Jwaszkowiczom sine vlla cunctatione in causis praefatis ius dicant, decretaq; nostra ad effectum deducant, Appellationes ab accessorijs, quae sententiae definitiuae vim non habuerint non admittant neq; vlla de se conquerendi vel actoribus vel creditoribus praefatis occasionem relinquant pro gratia nostra officij sui debito et sub poena decem millium aureorum Vngaricalium Fisco nostro irremissibiliter succumben.

Commissio
Sigismundus etc

Venerabilibus et Generosis Joanni Dzickinsky officiali et Canonico Posnanien. Joanni Kluczewsky Joanni Rybsky Canonicis itidem Posnanien. Mathiae Krzicky Subiudici Terrestri Wschowien. Nicolao Krzicky Surrogato Wschowien. et Jacobo Jablecsky Notario Terrae Wschowien. Fid. nobis dilectis gratiam nram Regiam. Venerabiles et Generosi Fideles nobis dilecti. Intelleximus ex supplici libello et protestionibus venerabilis Mathiae Rogusky Comendarij Wschowien. insignes iniurias illi, bonisq; et personis Ecclesiasticis Ecclesiae Parochialis Wschowien. inferri à plerisq; hominibus insolentibus Ciuitatem Wschowien. incolentibus, conniuente ad ipsum et inuidente Magistratu, qui potius ab innocentibus iniurias propulsare deberet. Cum autem ea res in loco, facta diligenti inquisitione, commodius cognosci possit Ideo id quodquid est negotij Fid. vris de quarum industria et dexteritate optimam concepimus opinionem, committendum esse duximus, committimusq; iam exnunc. Mandantes eisdem, vt certo opportuno tempore Magistratu et tota Communitate Ciuitatis Wschowien. ad se per literas innotescentiales suas vocatis ad Ciuitatem Wschowien. conueniant, ibidemq; vel in arce vel in Pretorio (vbi commodius Fid. vris visum fuerit) de omnibus iniurijs, damnis, et praeiudicijs, Ecclesiis, bonis, et personis Ecclesiasticis illatis, facta de omnibus diligenti inqui:

sitione cognoscant, atque decidant, efficiantque ut et bona, si quae Ecclesiae adempta esse constiterint eidem restituantur, et in posterum serio caveatur ne ullae insolentiae eiusmodi exerceantur immo ut Sacerdotes aliique personae Ecclesiasticae in pace et tranquillitate officium suum faciant. Unius vel duorum Fid. Vestrum absentia non obstante. Pro gratia nostra Regia officiorumque vestrorum debito

Mandatum ad eandem

Sigismundus etc.

Famatis Proconsuli Consulibus Advocato Scabinis totique Communitati Civitatis nostrae Wschowen. Fid. nobis dilectis gratiam nostram Regiam. Famati Fid. nobis dilecti Deputavimus certos comissarios nostros ad cognoscendas et definiendas insolentias, iniurias, damna, et praeiudicia, Ecclesiis, bonis et personis Ecclesiasticis in illa Civitate illata, de quibus satis magnis apud nos Venerabilis Mathias Roguski Commendarius Wschowen. graviter questus est. Quare Fid. Vris serio mandamus ut postea quam literis innotescentiis per eosdem comissarios vocati fuerint, coram eis compareant, ad obiecta respondeant et quidquid iidem comissarij in praemissis decreverint firmiter observent. Neque secus faciant, si gratiam nostram charam habent.

Rnsum S.R.M. Nobilit. Pilten.

Sacra Mtas Regia Dominus noster clementissimus ad petitionem secretalam consiliariorum totiusque Nobilitatis Dioecesis Pilten. in Curlandia, per Generosos Hermanum Maidel et Magnum Nolder cubiculi et aulae suae Familiares inter nuntios suos, ad intercessionem denique nuntiorum Terrarum pro eadem nobilitate in prior. proximis Regni comitijs factam libenter concessisset, ut eadem Nobilitas pro sua in S. R. Mtem et Rempub. fide, in defensionque studio, ad libertates Regni pro veris et genuinis Regni Poloniae magnique Ducatus Lituaniae membris susciperetur, et incorporaretur simulque de alijs quoque immunitatibus, ut pote de locis inter nuntios Terrestres, de Iudicijs